

nec radices habeant *Luc. IIX.* ideò facilè dimoventur. Non promittit illis Apostolus mortis Christi fructum seu participationem reconciliationis, sed ostendit, si velint participes fieri reconciliationis omniumq; bonorum à Christo partorum, eos non debere dimoveri à spe. *Per spem* quid intelligatur, non convenit inter Autores. Patres quidam, ut *Theophylactus* & *Oecumenius* spem Christum ipsum interpretantur, cum dicatur spes nostra. *Hyperius* accipit pro rebus speratis. *Guilielmus Estius* Jesuita explicat per spem bonorum coelestium. *Cornel. à Lap.* vocat spem Evangelii, quam affert & docet Christus per suum Evangelium, scil. ut speremus per Christum bona non terrena, sed spiritualia & coelestia nos consecuturos. Accedit tamen & aliquantisper *Hyperii* sententiæ, quod spes hic metonymicè accipi queat pro bonis speratis, quæ pollicetur Evangelium. Nos cum *B. Hunnio in Comment. super h. l. spem Evangelii* vocamus hereditatem speratam in Evangelio promissam, in Christo absconditam, in cælis repositam, & aliquando in illa filiorum Dei revelatione gloriosè manifestandam. Non vocat spem legis, sed Evangelii: Lex enim iis tantùm vitæ spem facit, qui perfectam obedientiam præstant: at Evangelium omnibus, quicumq; resipiscunt, & Christum fide amplectuntur. Illà spe legis non possunt non tandem dejici Peccatores: Nemo enim inter omnes Legè adimplet absolutè, sed spe Evangelii fulciri possunt. Cùm g. Diabolus, Mundus & Caro fidei stabilitate hominem dijicere conantur, spes eum fulcit. Et hæc spe vult esse immobiles, ut seriò cogitent, quanta bona sint speranda pro momentaneis molestiis.

§. 5. *Quod audistis.* Audiverant illud ex *Epaphra vers. 7. preced.* fido Christi servo, cujus sinceritatem Paulus Colossensibus commendat, dum idem Evangelium ab Eodem prædicatum esse dicit, quod Apostoli prædicabant. Nec obscure laudat eorum promptitudinem, quâ susceperant sanam de Christo Doctrinam, & ostendit, non aliud esse Evangelium, quod spem salutis afferat, præter id, quod ex *Epaphra* acceptum, semel erant amplexi.

§. 6. *Quod prædicatum est apud universam Creaturam,*

A a

qua